

verterat, quia legatorum unus contra jus gentium in Gallum depugnasset: Venetus quia neglectis fœderibus, quæ inter Carolum & Nicephorum iſta eſſent, alteri partium eſſet gratificatus. Oppreſſerant Senones omnia præter Capitolium: Belgæ præter Rivumaltum nihil Veneto nomini reliquum fecere: tam hic quam ille jactu panis fuit hoſtem ludificatus: hic littus, ille collem tutatus eſt: uterque Gallum victoria & ſucceſſu exultantem ferociter oppreſſit: ille ultro, hic coactus. Verum in eo Romana virtus clarius, quod hoſtes ad unum caſi ſunt: ut Veneta, quia potentiſſimi regis filium non ſuis ſolum, ſed paternis quoque atque Imperii viribus ſuperbientem fregit. Deſenſum Capitolium cauſa fuit Urbici incrementi, & majeſtatis Imperii perpetuo ibi ſanciendæ: ut Rivasaltus retentus, non ſolum ampliandæ urbis, ſed Ducariæ quoque ſedis auguſtiore loco, quam aut olim Heracliæ, aut deinde Medoaci fuiſſet, ſtatuendæ.

Hucusque Veneti Imperii Adoleſcentia proceſſiſſe creditur. Sequitur Juventus, qua firmatis jam viribus Veneta arma longe lateque pollere cœperunt, atque Imperii fines promoveri. Sed ad Pipinum redeo, quem præſenti clade dejectum conſeſſim ajunt Venetos obſidione levaviſſe: converſumque ad vicinorum locorum vaſtationem, omnibus, quæ Gallicis armis obnoxia fuere, populatis, copias in continentem abduxiſſe. Sunt qui dicant, Obelerium & fratrem, quia malorum omnium auctores fuiſſent, voluntarium exilium ſibi conſciviſſe, abeuntemque hoſtem ſecutos: alii, qui Carolum belli hujus, & non Pipinum auctorem faciunt, poſt cladem acceptam ferunt, Gallum cum Venetis pacem feciſſe, veniſſeque in Rivumaltum, atque honorifice acceptum, continuo cum populo de Obelerio in patriam reſtituendo agere cœpiſſe. Id Veneti quum gravate (quod exitus poſtea declaravit) præſtituiſſent, conſeſſim, Carolo abeunte, Obelerium a populo diſcerptum, ejusque præcordia evulſa, a quibuſdam dentibus lacerala: conjunx quoque illius, Gallici, ut fertur, generis, cum eo caſa dicitur. Sed neque Caroli auſpiciis id bellum

*Adoleſcentiâ Imperii Veneti excipit juven-tut.*

*Obelerii ca-des horren-da.*